

61.

Martin Kockstedt protestirt gegen das Urtheil des Dekans von Merseburg.

[1445.]

Hdschr.: Universitätsbibliothek Leipzig Cod. mscpt. No. 176 fol. 302—303.

Animo declinandi forum iurisdictionis vestre, venerabilis domine decane sancti
 5 Sixti, ego Martinus Kocstede, scholaris scole iuristarum alme universitatis studii Lipczensis,
 protestor per presentem comparacionem, in vestram iurisdictionem non consencio nec
 expost consentire intendo, nisi in quantum de iure quod volo habere pro repetita in omni-
 bus actibus postmodum coram vobis fiendis prout moris. Ita protestacione premissa,
 animo quo supra dico et propono reducendo vobis ad memoriam statutum alme universi-
 10 tatis studii Lypczensis, quod iuravit servare honorabilis magister Iohannes Cratzeberg et
 quilibet universitati intitulus, quo cavetur quod nullus intitulus debet trahere alium
 intitulum coram alio iudice quam coram rectore. Sed quia ambo intituli sumus atque
 incorporati universitati supradicte talesque habiti et reputati notorie publice ut vobis con-
 stat manifeste, ideoque contrarium iuramentum quod urgit in interitum salutis eterne,
 15 dictum magistrum contra me querulantem audire, iure canonico prohibente, non potestis
 neque debetis. Quare peto per vestram interlocutoriam sententiam pronunciari, decerni
 et declarari vos huiusmodi causam ad instanciam dicti magistri audire non debere neque
 posse eundemque magistrum ad cuius instanciam sum citatus ad inutilem vexacionem in
 expensis condempnandum esse ac condempnari, condempnatumque ad solucionem earun-
 20 dem compellendum fore atque compelli, censura qua conivet ecclesiastica mediante et
 aliis remediis et viis oportunis.

Nec auctoritate executoria statutorum provincialium sacri concilii Magdeburgensis
 procedere in hac parte potestis, cum dictus magister Iohannes Crassberg non clericus sed
 laicus existat, quod ad oculum demonstro per eius barbe delacionem, sed quia, venerabilis
 25 domine decane, probacio per aspectum ad oculum omnem aliam vincit probacionem, ut
 dicit Io. An.^{a)} in lectura sua arboris consangwinitatis per iura que ibi ad hoc allegat &c.,
 et si forte per testes instrumenta aut alias probaciones legitimas demonstraret, se clericum
 ordinatum, quod nondum credo, tunc reduco vobis ad memoriam vitam et honestatem
 clericorum cuius cura ad vos spectat, que patent in c. „Clericis“ et in „Clericus de vi et
 30 honestate“, quod hoc anno per dominum meum doctorem studere atque legere incepi, et
 si dixerit se clericum, quod vix credo, tunc nichilominus eum contra me querulantem
 audire non potestis neque debetis, quia reprehensibilis est per se per c. „Si quis ex clericis“
 xxiii di., immo per vos ad quem spectat clericorum vitam et honestatem conservare ne
 sanguinis de manibus vestris requiratur debet ob id excommunicari.

35 Preterea venerabilis domine decane, posito falso pro vero, quia in dictum ma-
 gistrum manus meas violentas iniecissem eundemque cum lapide in faciem suam circa
 oculum proiecissem, quod tamen verum non est quovismòdo, nichilominus tamen senten-

61. a) Ioh, Andreae.